



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

II. De pace ecclesiarum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

compendiosa breuitate cum simplicitate lucida velut suis asteriscis illustrata. Vnde quarundam rerum & verborum affinitatem, paucorum adiectione, vel omissione, curauerim facile sobrius lector agnoscat. Sequuntur & aliorum iura regum plurimorum, de quibus teneri liceat quidquid ista contemplatione non discrepat.

LEGES ECCLESIASTICÆ.

I.

In primis est, vt Deum & Dominum nostrum tota mente diligamus, & vnã Christianitatis sanctæ fidem catholicam orthodoxe teneamus, & sanctam Dei ecclesiam pacificare, custodire, frequentare, ad nostram semper vtilitatem gaudeamus.

II.

Omnis ecclesia sub propria Dei omnipotentis protectione consistet, & Christianis omnibus magnam super his reuerentiam exhibere conuenit: quia Dei pax super omnem pacis actionem specialius exoptanda, propensius est obseruanda, & postea regis. Et valde rectum est, vt ecclesiæ pax intra parietes suos, & pax Christiani regis, quam manu sua dederit, semper inconuulsa permaneat. Quicumque alterutram perfregerit, de vita & omnibus in misericordia regis sit.

III.

Si quis amodo pacem ecclesiæ Dei violabit, vt intra parietes eius homicidium faciat, hoc inemendabile sit, & prosequatur eum omnis qui Deum diligit: nisi contingat vt per aliquod pacis confugium rex ei vitam concedat, plenis emendationibus erga Deum & homines. Et hoc tunc in primis sit; vt precium natalis sui Christo persoluat & regi, & per hoc se inlegiet ad emendandum. Si tunc ad emendationem veniat, & rex ita patiatur, emendet ecclesiæ pacem in ipsam ecclesiam plena regis mundicie: & reconciliationem ecclesiæ quarat, sicut ad eam pertinebit: & magbotam & manbotam plene reddat, & saltem apud Deum sedulo componat. Si vero aliter sine interfectione pax ecclesiæ fracta sit, emendetur secundum quod acciderit; sit per pugnam, sit per robariam, sit per id quod sit, emendetur primitus infractio pacis in ipsam ecclesiam